IA. CARPENTARII Profeſſoris & Medici Regij Tumulus

A Doctiſsimis quibuſdam viris Græcè & Latinè deſcriptus, cùm oratione funebri diſertiſsimi viri Claudij Hermodori Gozzij habita Lutetiæ in Aud. Reg. die ſeptima Febr. 1574.



PARISIIS,

Apud Gabrielem Buon, in clauſo Brunello, ſub inſigni Diui Claudij.

1574.

CLAVDII HERMODORI GOZZII ORATIO

IN MORTE IACOBI CARPENTARII

Medici ac Profeſſoris Regij Philoſophorum ætate noſtra principis habita Lutetiæ die ſeptima Februarij.

CVM in maximis calamitatibus acerba ſint pleraque, Auditores humaniſsimi, nihil tamen atrocius putatur, quàm quod æquare doloris magnitudinem oratio non poteſt. Animum enim rebus aduerſis æſtuantem, vbi tentatis omnibus conſiliis (quod vnum ſupereſſe videbatur) verbis exprimendæ moleſtiæ accomodatis deſtituitur, duplicata ægritudo ſæpè vrget ad exitium. Quamobrem cum de ſapientiſſimi doctiſsimique viri Iacobi Carpentarij morte rumor nudius ſextus vrbe tota ſparſus eſſet, videre licuit occupatas ingenti mærore mentes omnium in tantum demiſiſſe ſqualorem vultus & congreſſus, vt vel in ſuauiſsima doctorum hominum conſuetudine facile apparuerit, nihil hac tempeſtate miſerius accidere bonis artibus potuiſſe. Itaque cũ alto ſilentio defixæ in Iactura cogitationes conquieſcerent, ſtupor ingens omnes habuit, grauiſ-

ſimum ſemper immanis fortunæ teſtimonium, quod nulla ſatis commoda ratio inueniretur pro rei atrocitate de tanto literariæ ciuitatis incommodo deplorandi. Rupit hâc deinde ceſſationem nouus ab indignatione dolor: cum turpiſsimum omnes iudicarent, fractis acerbitate animis, maximi hominis memoriam longè clariſsimam non in vſuræ locum ingredi perpetuò à poſteris colẽdam. Cœptum eſt ergò deliberari non tam de lamẽtanda Reipublicæ calamitate (quod ſatis fieri nullo modo poſſet) quàm de illius exornando funere, cui ornamenta maxima referrẽtur accepta. Erant qui laudationis huius non officioſam modò, ſed honeſtiſsimam prouinciam depoſcerent complures. Et inuenti ſunt non modeſta ſolum ſignificatione voluntatis, verum etiam aperta ſtudij contentione flagitantes, vt vel amantiſsimi præceptoris, vel ſuauiſsimi amici, vel denique maximi omnium ætate noſtra Philoſophi diſceſſum è vita liceret exornatione proſequi. Deberi hoc excultiſſimæ tanti hominis doctrinæ, dandum poſtulanti tacita pietate Academiæ. Poſtremò non committendum, vt acerbiſsimi caſus inuidiam ingrato ſilentio quiſquam ſubiret. Cum tamen acerrimo ſenſu doloris perculſi plerique viderentur, & quãuis ardentes animos, verba prę angore crederentur defectura, quæſitum eſt, ecquis ita animum comparaſſet, vt vbi de Carpentarij doctrina moribuſque dicere incœpiſſet, lachrymas tamen cohibere poſſet. Argumentum per ſe cum primis illuſtre, fa-

cundum oratorem ex quālibet ie iuno effecturum: neque illi grauitatem orationis defuturā qui modò maximarum rerum ordinem proſequi poſſet: animo tantum præſenti & ad moleſtiam obfirmato eſſe opus. Dicam vti ſe res habet (Auditores) quamuis ingenio doctrinaque dicendi cum nemine videbar mihi conferendus. itaque ſemper exiſtimaueram, eum qui de re tanta, in ſchola regia conuentuque doctiſsimorum hominum lōgè frequētiſsimo verba facturus eſſet, ſi minus eloquentem, certè diſertum eſſe opportere: mihi verò neque à natura ſatis idoneis oneri tanto viribus, neque ab exercitatione vſu comparato, ceſſatio tuta magis videretur, quàm modeſta ſuſceptio: vnus tamen ſum inuentus, qui ſperarem poſſe me dolori oratione ſupereſſe. Id niſi me fefellerit, nec (quod magnopere vereor) communis Philoſophiæ calamitas ita mihi vocem fletu debilitarit, aut mētem dolore impedierit, vt ſemihoræ ſpatio cōſtare mihi poſsim in dicēdo, perficiam profectò vt intelligatis ex paucis maximi hominis rebus geſtis, quātum amiſerit non hæc modo Academia, verum etiam vniuerſa Reſpub. literaria ornamenti. Ac quemadmodum, in euerſas bello vrbes cum ciues redierūt, editas igni ferroque ruinas recenſere ſtatim non aggrediūtur, ſed ad templa diuorum primo, deinde ad publica conuerſi loca, quid priuatis eorum fortunis contigerit, inde conijciunt: ita, quod vniuerſa bonorū doctorúmque ciuitas detrimentum cœperit ex immatura clariſsimi viri

morte non magno labore cognoſcemus, cum illam eius vitæ partem attigerimus, quæ omnis cõparata fuit ad reip. ſplendorem. Cum igitur Iacobus Carpentarius ex agro Bellouaco Claromonte oppido propter ſe ciuẽ nunc illuſtriori oriundus & honeſto loco natus, in Florẽtiſsimę huius Academiæ gremio educatus & ad ingentis doctrinæ ſpẽ erectus fuiſſet, maioribus frequentiſsimorũ collegiorũ ordinibus ducendis ad eloquentiæ ſtudium quinquenniũ primò tribuit. Philoſophicam deinde in Becodiana ſchola diſciplinã ita ſuſcepit, vt cum incredibili auditorum frequentia ſex annorum ſpatio docuiſſet, in eum ſplendorem familiam reuocarit, quo etiã nunc inter primas locum obtinet. Eius inde authoritas, cũ ſumma dignitate, mercede maximorum pręmiorum euocata, ſingulari eximióque Dei optimi maximi beneficio In regiũ Burgundorum Collegium illo eſt omine trãſlata, vt nihil eius loci amplitudini potuerit auſpicatius contingere. Etenim quod Græcus poeta de Aurora prædicat, eius aduentu quicquid ſit malorum propulſari ſolitum, id mihi videtur de Carpentario veriſsimè dici potuiſſe. Nunquam ille pedem aliquò intulit, quin ſplendor vnà ingens & alma fauſtitas continuò ingrederentur. Quocirca, dum toto decennio philoſophicis præceptionibus explicandis Burgundam domum exornauit, cum nulla eſſet aula, quæ tam multos auditores caperet, quam multi ad eum non ex Gallia modo, verũ etiam ex Germania, Italia, Hiſpania,

& longinquis nationibus remotíſque inſulis accedebant, vel hyeme ſumma, tempeſtatibus perfrigidis, imbribus maximis, aream tamen, eámque viæ publicæ partem, quę aulę adiacet, ac ad quæ modo loca vox eius deferretur, videri ſemper potuerunt completa & conferta. Quæ deinde vis hominum omnibus eius domus oſtiis cum effunderetur, theatrum ingens dixiſſes non ſcholam exhauriri. Collegium itaque Burgundorum cum longè ampliſsimum ornatiſsimúmque ſumma diligentia laboribúſque maximis reddidiſſet, vocaretúrque jam ad Medicinæ ſtudia nō tam ſua quam aliorū cauſa iudicioq; Philoſophicis pręferenda, in doctorum Collegium, deinde in Regiorū Profeſſorum numerum tanta Regis munificentia tantóque maiorum regni ordinum conſenſu eſt adſcitus, quāta in alterius dignitatem nunquam conueniſſe clamat S. C. quod referentibus regio publicóque actoribus, anno ab hinc octauo factum eſt. Id. Martijs: tanta verò Academię fœlicitate, vt eum demum Philoſophię diem pulcherrimum auſpicatiſsimúmque illuxiſſe fateantur omnes, quo ille fluctuantis quaſſatęque reipub. Literariæ clauum arripuit. Ex quo certe die ad eum, qui poſtremus illius, ac penè bonarum artium, vitę fuit, veri contemplationem ita viguiſſe floruiſséque, vt nunquam antea, teſtatur multo frequentiſsimum hoc tempore doctorum ſeminarium. Teſtatus eſt cum ſumma demum clariſsimi viri amplitudine Carolus Regum maximus inuictiſsimuſq; nu-

per. Cum illum honoribus muneribuſque magnificentiſsimis auctum, vt inſignia crebritate ac magnitudine merita in bonas artes proſequeretur, in Regiorum medicorum chariſsimos referri iuſsit. Hanc omnem ętatem Carpentarius cum per laborem diuturnum luces docendo dicendóque, noctes vigilando & ſcribendo traduxiſſet, non ſtudio ſolum ſingulas Philoſophię partes illuſtrauit, ſed re ipſa perfecit vt omnes intelligerent, ęquè illum inſigni doctrinę ſplendore, ac ingēti morum cōſtātia cunctis antecellere. Declarauit hoc ſpectata eius pietas, inter hęc amœniora ſtudia inſignis illa quidem, ſed in maximo vrbis huius, aut regni potius diſcrimine, vel grauiſsimo maximi optimíque Regis iudicio, clariſsima. Quo tēpore, neque admodum firma valetudine propter aſsiduas vigilias, neque corpore ad militiam aſſuefacto propter otium literariū, arma induit: ordinem (quem illi Rex addixerat honoris cauſa) centeſimū & vigeſimum pręſens duxit: patrię communis periculum ſuo ſubiit. Nec interea tamen muneri ſuo defuit, aut auditorum commodo: neque commiſit, vti quiſquā crederet velle illum alicui reip. labantis parti ſuperſtite vita deeſſe. Itaque ardor ille animi ad pulcherrimæ virtutis formam accenſi, vel tum maximè diſertiſsimis grauiſsimíſque diſputionibus prolatus emicuit. Cúmque publicè pro religione primùm, tum pro patria fortitudinis exempla ederentur, quantùm in priuata vita & conſuetudine ornamētorum à reliquis animi dotibus

apparatum

apparatum conciliaſſet ſibi Carpentarius intellexerunt mortales omnes, cũ plerique tantùm prius noſſent. Quî enim fieri potuit, vt vel ex animi perturbati morbis, vel ex priuatę vitæ turpitudine tantum apertæ virtutis exiſteret? Quis autem eius hominis mentem ab vllo virtutis genere abhorrere poſſe credat, quem nihil ſolicitudinis aut laboris aſpernari videat pro ciuibus, pro repu. pro pietate? Magna ſunt iſta quidẽ Auditores, & eo prorſus digna homine, qui ſe ad perfectũ optimi ciuis exẽplar comparaſſet: ſed quę tamen à neceſsitate permultos habuere, ſi minus comites, certe aſſeclas. Illa verò pecularia ſunt Carpẽtario, quod humanarum diuinarúmque rerum cognitionẽ, elegantiſsimis doctiſsimíſque libris editis, ita excoluit hac tempeſtate, vt poſt eam natam nemo. Excoluit autem? quantum hoc eſſet? imò verò afflictam erexit, perditam recreauit: aut conuulſam potius euersámque funditus; reſtituit atque inſtaurauit: ornatiſsimam denique Florentiſsimámque protulit. Non poſſum non vehementer commoueri atque animo perhorreſcere in eius periculi magnitudine referenda, in quod ab inſigni temeritate peſtis ac pernicies Philoſophiæ Petrus Ramus hãc omnium pulcherrimam Academiam ſic traxerat, vt niſi maximi viri opportuna virtus obſtitiſſet, auocatæ à veri contemplatione mentes, ad antiquas dubiæ quæſtionis tenebras rediture fuerint. Cum enim labes illa multorum ingenia peruaſiſſet, qua impunè credebatur Ariſtotelis opera iuuenum a-

nimos in Philoſophandi ratione reddi ſuperſtitioſos ac penè phanaticos, parúmque iam abeſſet quin omnis doctrinæ pater & antiquiſsimus idem conſtantiſsimúſque inſtitutor literariæ ciuitatis recenti leuiſsimorum hominum iniuria ex vrbe pelleretur, non tulit immanem viperarum audaciam Carpentarius, & qua in bonas artes voluntate, quo in veritatem ſtudio ſemper fuit, publicis priuatíſque laboribus cótendit, vt clariſsimorum virorú, Academiæ totius, Regis denique ipſius opera exitium ab Ariſtotelis cápite fortuníſque arceretur. Quo in negotio cum accerrimas reip. cauſa ſuſcepiſſet inimicitias, ita eas geſsit, vt, quod erat, veterem Academiæ cauſam agere, non recenti dolore accenſus eum inſectari videretur, quem annis ab hinc triginta grauiſsimis integerrimorum iudicum ſententijs confoſſum, digna ſapientiſsimo maximóque Rege animaduerſio indignú ordine Philoſophorum cenſuiſſet. Quanta propterea vexatione corporis, qua contentione animi confecit vitæ partem illam Carpentarius? Quid cogitatione, quid opera non tentauit? Quid in Senatu, quid in Regio cóſilio, quid aut in publicis Academiæ, aut in priuatis maximorum principum conuentibus omiſit, quod ad effrenatum audaciſsimi hominis furorem reprimendum pertinere poſſet? Quas non legationes ille, quas non ſuſcepit actiones, vt vrbem peſte liberaret, bonos metu? At quanta interim in agendo dicendóque virtute? quanta in explicandis omnibus conſiliorúm rationibus

prudentia? quanta in ferenda ſententia de maximis rebus ęquitate? Quanta denique inter clariſsimas victorias animi moderatione? Nunquam ille dicendo ſcribendóue tam lætatus eſt Carpentarium viciſſe, quàm veritatem emerſiſſe. Nũquam à ſe ſtratum hoſtem potius eſt gloriatus, quàm fugatum errorem. Nunquam de ſuo triumpho tantopere ſollicitus, quàm de Philoſophiæ incolumitate fuit. Cum enim ſolo rectè inſtitutæ rationis ardore in peſtiferam amentis hominis doctrinam inueheretur, & a conuitio, quo acriter conuellebatur, ingenio ſuopte abhorreret, tum in ſuam ſententiam adducere volentem aduerſarium potius quàm repugnantem trahere vehementer cuperet, nullum non mouit lapidem, nihil reliquit explorandum, vt vel inſumpto fruſtra labore mortalibus omnibus appareret, non defuiſſe illum officio, ac dignitati ſuæ. Teſtantur vniuerſa illa monumenta, quibus cum maledictis reſponderet, non tam reprehendere, quàm docere, meritò ſemper eſt viſus. Quod quò percipere vel illud monſtrum poſſet quod petebat, dedit operam noſter Hercules, vt, quoniam dudum conueniſſet, longum difficilemque ambitum Philoſophandi ab Ariſtotele inſtitutum, própterea quod crebris multorum quæſtionibus agitandis impeditus mentem in docẽdo ſuam ſæpe admodum ſerò patefaciat, omiſſis omnibus quæ abeſſe à re non incommodè poterant, ad eius modo ſententiam redigendum, ipſe princeps curam ſuſciperet reipu. tam ſalutarem.

Quamobrem excitato vniuerſo terrarum orbi ad expectationem operis magnitudine ingentis, genere neceſſarij, cum vir maximus deeſſe nollet, artem vniuerſam differendi multis obſcuriſsimiſq; libris comprehenſam, ad id reuocauit continuò & breuitatis & lucis, vt ex ea die qua maximo iuuentutis commodo eſt in lucem edita, nunquam, non dicam legi deſierit omnibus in Collegijs huius Academiæ, ſed excudi vt in Galliam reliquam exteráſque gentes mitteretur. Ibi primùm pater appellatus eſt ab Ariſtotele Carpentarius. Inde, poſt vetus & cõſtantiſsimum patrocinium, inita eſt à Philoſophorum principe gratia multo maxima. Iam tum primùm de re Philoſophica bene ſperari cœptum. Ex eo demũ tempore doctiſsimi clariſsimique viri omnes, ad quos de ſummo bonarum artium periculo rumor perueniſſet, quique atrociſſimam à Philoſophia calamitatem vehementer deprecati eſſent, literis humaniſsimis omníque addicti animi ſignificatione Carpentario gratulati reſpirarunt. Sequuta rationalem eſt naturæ diſputatio, quanta ſummi ſplendoris maieſtate? quanto ſtudio, quibus expolita ſudoribus? quam exorientem (ſi quis inferis harum rerum ſenſus eſſet) quicumque Ariſtotelem grauiſsimum eius parentem atque præceptorem ſunt ſequuti numeri difficultatiſque libro. quos de illa ſcriptos ipſe reliquiſſet pertæſos credibile ſit ab orco ſalutaſſe. Ita certè in manus doctiſsimorum apud omnes gentes hominum deſcendit, vt ipſa cœlitus delapſa, res omnes

à ſummis initijs inſtauratæ viderentur. Ac quemadmodum ſereno cœlo, ſtellis lunáque ſub auroram fulgentibus, flumina, ſaltus & ſaxa parce viatoribus apparent, cum verò luce ſolis oborta dies illuſtrari cœptus fuerit, aperta perſpicuáque ſunt omnia: ſic editis phyſicorũ libris, quicquid ab alijs in eam quæſtionem fuerat illatum noctis atq; nebularum, protinus eſt horum lumine depulſum. Hac altera iam opera reuocatus ad ſuperos Ariſtoteles Romano more pileatus Carpentarij de ſuis hoſtibus triumphum eſt ſequutus. Perdomitam immaniſsimorum hominum audaciam, recreatam releuatámque ſuam rempub. eſt contemplatus. Vidit ea ſtudia iuuenili huius conatu reuireſcentia, quæ ſenio ſui laboris effœto aruiſſent. Agnouit Athenas in Gallia: ſuum ingenium, vel genium potius diuinum, eſt in Carpentario complexus. Quicunque verò eam Philoſophiæ partem qua de rerum cauſis diſſeritur, prius aduerſabantur, vt horridã atque ſtrigoſam, auidiſsimè ad exornatam excultámque properarunt. Illi tamen effuſiſsimo curſu contẽderunt, qui ad medendi peritiam animum admouiſſent: cum viderent maximi clariſsimíque Medici ſimul & Philoſophi ope induſtriáque patefactum ſibi ad Philoſophiam ſimul & Medicinam aditum fuiſſe. Quantos propterea creditis in Germania, quãtos in Italia, quan tos in Hiſpania, quãtos in extremis orbis terrarum finibus Carpẽtario habitos honores? Quantas gratias actas? Hic mihi credite mundus rerum, qui

ambit reliqua, tellus bruta, immenſa, maria, quicquid eſt animãtũ quę ſub aquis, quæ in terra, quæ in aëre, vitam degunt, quòd eorũ ortus & facultas mortalibus eſſet aperta, gratiam Carpentario refferre magnam geſtierunt. Ille verò, cum ad immortalitatem nominis contentione maxima raperetur, non fuit ea contentus gloria, quam cùm captaſſent permulti, ſolus tamen erat conſequutus. Tertia erat Philoſophiæ totius pars, quæ ad diuina pertineret, quam etſi ab aduerſariis intactam videbat (quod ſapientiſsimorum doctiſsimorúmque hominum ſententia, ne ad primam quidem perueniſſent) illuſtrandam tamen ea cauſa exiſtimabat, vt planè appareret, quantam doctrinam ignari homines nihili feciſſent. Quod igitur longa difficilique peregrinatione Plato apud Ægyptios vix fuerat adeptus, hoc paucarum noctium ſpatio, domi ſuæ ſedens Carpentarius eſt conſequutus. Veterem enim eius gentis Theologiam cum eo, quod reliquum illi erat Ariſtotelicæ doctrinæ promendum, ita coniunxit, vt hoc demum argumento euectus in cœlum Philoſophorum ille maximus princeps credatur, quòd ex præceptoris inſtitutione illi redditur, quicquid eius ne foret an alterius cuiuſuis dubitari poterat. Ne itaque anguſtis naturæ finibus contineretur immenſus ille ſciendi ardor, qui hominem ad cauſarum cõtemplationem euexerat, inuenta eſt ratio, qua ſuperatis, vel repugnante natura ipſa, principijs, ad ipſum eorũ fontem adiri poſſet. Ex quo deinde hauſit animus ea,

quæ, cum ad ſolidam verámque ſapientiam pertineant, ad beatitudinem conſequendam comparantur. Hanc ſummam contemplationis partem poſtquam abſoluit Carpētarius & ſupremam Philoſophiæ manum impoſuiſſe omnibus omnium gentium Academiis eſt viſus, quis eum dubitaret ad ſummum fœlicitatis huius qua viuentes fruimur, culmen perueniſſe? quis non eius laboribus quietem attribueret? ſtudijs metam imponeret? Quis non ita ſecum diceret? nihil habet iam Carpentarius quod perſcribat, nihil quod illuſtrandum ſuſcipiat. Quid enim aſſerta in libertatē Ariſtotelis doctrina vniuerſa & Mathematicis diſciplinis excultis, poteſt ſupereſſe? Quantum eſt rerum intra ſupernorum orbium conuerſionem, quantum in ipſa mente rerum omnium, quantum in eius authore deo (quod quidem animus hominis conſequi poſsit) hoc omne Carpentarius vnus poſt hominum memoriam elaboratum ingenio, perfectum induſtria, exornatum eloquentia, produxit, expoſuit, eſt largitus. Nihil eſt reliquum. Ille vero tantum ab fuit ab otio, vt contra nihil habuerit antiquius, quam labores ex laboribus ſerendo quietem ſemper auerſari, negocij finem deprecari. Quid enim homo natus ad eruditionem ageret? ad quod ſe conuerteret ſtudij genus alumnus ſapientiæ? cur ſuſceptam Philoſophandi prouinciam, quam conſtantiſsimè ſemper defendiſſet vita citius, qua nō tātopere caperetur, deponeret? cum ergo animaduertiſſet in omni contēplationis

lictus eſt operæ alicuius locus: nihil habet poſteritas quod philoſophiæ addat: nullum ſupereſt argumentum: prolata ſunt, aperta ſunt, explanata ſunt omnia. Vnus ad hanc ætatem Carpent. iter ad rerum omnium cognitionem facile reddidit ex moleſto, breuiſsimum ex prolixo. Nihil ad hanc facilitatem, nihil ad breuitatem addi poteſt. Iam ne cogitatio quidem extra Carp. ſcripta loci quicquam habet. Hunc ergo virum, cum inter mortales tantum ſibi gloriæ ſolus comparaſſet, quantum ſperare clariſsimi quique multarum ætatum ſcriptores vix potuerunt, ardor tamen is permaneret iuuandę reip. literariæ, quo illam totos annos triginta fuerat complexus, vnum etiam nobis eripuit conſtantiſsimum in nos ſtudium, & quidam animi dolor inde ortus, quod omnibus tentatis rationibus, nihil iam haberet, quo iuuari poſſent noſtra commoda. Et illam Alcinoi non tam Alcyoneam quam Cygneam vocē cum amici diſcipulique complures percepiſſent, metu iam exanimati monuerūt hominem, caueret ne animum citius quam laborem deponere cogeretur. Nec authoritati poſthac illius, nec ſcriptis addi quicquā ſine diſcrimine ſummo poſſe. Rem denique illo deductam, vt vel omnino ceſſandum, vel moriendum eſſe ſciret. Ad quos ille ſemel caput leniter demittens, fronte ſerena illa quidem, ſed oculis, vt ad lachrymas cōpeſcendas, identidem clauſis, ac reliquo vultu iam ab animi prouidentia ſubſtriſti, prędfatus ægrè ſe hoc vnum ferre, quòd Academiā

labore ſuo non ſatis ornaſſet, affirmauit ſibi quidem moriendum eſſe breui, ſed nec ipſa quidem in morte ceſſaturũ. O triſtem, & vt nimis verã, ita publicæ calamitatis prænuntiã vocem. Cum enim nõ multò pòſt febri, deinde tabe correptus moriturus iamjam videretur, nunquam alloquio compellare doctiſsimum quémque deſiit, nunquam cum eruditiſsimis Medicis de morbi cauſsis diſputare. Teſtis eſt hic (quem vt eius dignitas & amplitudo ſumma poſtulat, honoris cauſa nominatum volo) Leodegarius à Quercu ex antiquiſsimis maximiſque luminibus huius Academiæ ſuperſtes vnum, & amicorum Carpenta. quibus ille ſemper integerrimis & doctiſsimis eſt vſus longe princeps. Hic inquam cum adire ad illum ægrotantem ſæpe conſueſſet, nunquam non de grauiſsimis rebus vel ipſe differere coactus eſt, vel differentem audire. Donec biduo antequam moreretur, cùm iam animum religionis Chriſtianæ ritibus ad egreſſum è corpore, cuius toto morbi curriculo certiſsimus vates fuit, comparaſſet, amicum (quem) propter venerandam ſenectutem eximiámque prudentiam, patrem appellabat, orauit, primùm vt æquo animo ſuam ferret mortem, tum ſibi diſcedenti bene precaretur: ad ſe vero nihilo plus accederet, quàm filius quem amarat vnicè, ne dolor ex eorum mœrore ſimul atque amiſſione conceptus illum auerteret à ſanctiſsimis cogitationibus. O mortem viro integerrimo, Philoſopho ſummo, & clariſsimo ſcriptore dignam il-

lam quidem,ſed labanti huic Academiæ plane lugubrem, Gallicæ iuuentuti lamentandam, Philoſophicis diſciplinis vtinam non exitialem, certè damnoſiſsimam. O nos miſeros adoleſcẽtes, ô deſtituta præceptore ſummo noſtra ſtudia. Cur enim eorum ſortem doleam, qui hominis omnium ſuauiſsimi conſuetudine dulciſsima ſunt orbati? Cur aliorum omnium, quibus ille tandiu vixit, quandiu quid doceret habuit, cũ omnes doctrinæ opes effudiſſet, habitus eſt pro mortuo? Ad nos iſta calamitas, ad nos inquã pertinet. Nulla eſt orbis terrarum pars, cui ea contigerit acerbior, quàm huic regno: nulla regni ciuitas, cui grauior, quàm huic: nulla huius pars, cui atrocior, quàm Academiæ: nullum in Academia genus hominum, cui funeſtior, quàm nobis. Omnia doctorum omnium vota, omnes etiam ſuperarat cogitationes labore ſuo Carpentarius, vitæ morumque integritate opportuna opera reip. commodo abundè ſatisfecerat labore ſuo Carpẽtarius. perditorum hominum amẽtiam cohibuerat labore ſuo Carpentarius: Academiæ vniuerſæ lumen ſplendorémque reddiderat labore ſuo Carpentarius. Poſtremò terrarum orbem vniuerſum illuſtrarat, labore ſuo Carpentarius. Nobis tamen ita nihilominus adhuc laborabat, quaſi nihil vnquam pręſtitiſſet, ſic ſe ſuámque doctrinam noſtris animis inſerebat, vt nihil humanius pariter ſubtiliúſque fieri poſſet. Quem ſemel docuerat, compellarat, aſpexerat, ſapientiorẽ, humaniorem, modeſtiorem reddebat. Nunquam

ad illum quiſquam aduentabat, quin poſtquam ſalutaſſet, continuò mirificè traheretur ad incredibilem diſcendi cupiditatem. Nemo eius cõſilium flagitabat, quin illicò ſapientiſsimum referret. Nemo illius opẽ operámue implorabat, quin ſtatim erigeretur adiuuaretúrque. Hæc omnia dies vna nobis abſtulit. Hæc omnia vna hora huic Academiæ fatalis abduxit. Hæc omnia momentum iniquiſsimi temporis eripuit. Nemo noſtrũ poſthac vocẽ hominis ætate noſtra Philoſophorum principis ex hoc loco audiet. Me miſerum & luctuoſam loci huius recordationẽ: quæ, vt video, nunquam ex hoc tempore animum ſubibit meum, ſine dolore ſummo, ſine lachrymis. Redij poſtremis hiſce diebus hac ipſa hora in hunc locum, auditores, vt viderẽ poſſet ne ſpectaculo illius acerbiſsimum ſummi viri deſiderium leuari. Cathedram hanc inanem ſum contemplatus, toto ludo ſilentium & vaſtitatem. Parietes mihi lugere ſunt viſi. Ægritudine penè ſum cõfectus cùm hæc ipſa mecum cogitarem ſæpius. Nemo noſtrum ardentes inter dicendum à diuina vi oculos intuebitur. Nemo vultus honeſtiſsimi maieſtatem admirabitur. Nemo facundiſsimas de maximis rebus Carpentarij diſputationes audiet. Quantò illorum eſt conditio melior, qui ſcripta modò tanti viri, non vocem acceperunt: cùm nos quotieſcúnque in mentem venerit, quid amiſerimus in eius morte, neceſſe ſit mœrore ſummo contabeſcere. Sed finis quæſo ſit, neque enim altius actus dolor ſibi tem-

perare mentem ſinit. Et verẽdum eſt ne beatus iam animus Carpen. lachrymis noſtris, vt illius inuidẽtibus fœlicitati, offendatur. Cum ille numeros omnes impleuiſſet Philoſophi maximi & Chriſtiani: cum literas, cum patriam, cum orbẽ terrarum ornauiſſet: cum nominis immortalitatẽ poſt opes & honores ampliſsimos adeptus eſſet, diuorum dignior quam hominum cœtu fuit. Maturæ iã eius animi fruges, optimo maximoque Deo cultori debebãtur. Eius nunc ille cõſpectu & cõſuetudine, qua fuit morũ integritate, qua pietate animi, quibus in remp. meritis, fruitur fruetúrque perpetuò. At tu diuina præceptoris optimi mẽs, quacunque cœli parte iuſtos tuorũ luctus intueris, adeſto volens & propitia: tùm, quod auguſtæ dignitati tuæ maximè conuenit, hanc Academiã olim parẽtem tuã, nuper alumnã, vniuerſamque literariã remp. pietate tua æternùm cõplectere. Ita quotieſcũque tui meminerint mortales (& vt meminiſſe debeant ſemper effeciſti) eorũ beneficiorum cauſa quæ à te maxima plurimaque ſunt conſequuti, gratias rerũ omnium parenti eorũ nomine vt agas exoratũ velint. Vos verò (humaniſsimi auditores) quẽ in ſcriptis animiſque veſtris viuentẽ habetis Carpẽtariũ, quem nulla vobis calamitas, nullus caſus auferre poteſt, quod facere inſtitiſtis ſemper colite: aſsiduóque mementote Deum immortalem obſecrare, vt qua eſt in vos clementia Carpentarij ſimiles vobis præceptores poſthac omnes largiatur.

Dixi.

DEO SERVATORI AC
POST. MEM. S.

BONAS QVI ARTEIS BONVS COLIS ADVERTE AD HOC SAXVM OCVLOS VIATOR, ET BONORVM INFORTVNIVM DISCE STVDIORVM.

IACOBVS CARPENTARIVS BELLOVACVS CLAROMONTANVS, CVM VNVS OMNES DOCTRINAE PARTEIS ORNAVISSET, VIAMQVE AD IMMORTALITATEM AFFECTASSET, ANIMI DOLORE ABSVMPTVS EST, QVOD NVLLA RATIO SVPERESSE VIDEBATVR QVA MORTALIBVS PRODESSE POSSET. HOC TANTVM TECVM COGITATO, ET VBI REI LITERARIÆ CALAMITATEM ACERBISSIMAM ELVXERIS, PIIS HOMINIS MANIBVS BENE PRECATOR.

OPT. ORNATISS. HONESTISS. VIRO FAMIL. ET AVD. MOEST. PP.

IN IACOBI CARPENTARII
REGII PHILOSOPHIAE
Profeſſoris obitum.

O Facinus capitale quod Atropos impia nuper
Fecit, Gymnaſij dum caput abripuit.
Ars tua nã reliquas caput inter cum foret artes,
Inq; tua ſummum tu caput arte fores:
Dulce ſuum te noſtra caput ſchola iure putabat
Carpentari, omnis qui caput artis eras.
Ergò multa vno cum membra amiſerit anno,
Trunca quibus viuum penè cadauer erat.
Salua tamen ſaluo nuper te vtcumque manebat:
At nunc amiſſo quid faciet capite.

Io. Auratus Poëta
Regius.

In triſtiſsimum Iacobi Carpẽtarij Lectoris & Medici Regij interitum Nænia.

Per proſopopæiam.

Authore Leodegario à Quercu Lectore Regio.

IMmodicum ſophiæ ſtudiũ (qua tu omnibus anteis)
Morte immatura te capulo impoſuit:
At ſophiæ eiuſdem ſtudium nimis acre, perenni
Fama, te æternùm viuere morte facit.
Te ſophia ergo beat dum te necat ipſa ſtudendo,
Et perimendo facit, ne ſtudio pereas.
Teq́ beata ſopho ſophia eſt (ſophe docte) viciſſim,
Cùm ſophiæ decori ſis, vt & illa tibi.
O vtinam ſimili detur mihi morte perire,
Aut potius ſimili viuere morte mihi.
Phœnicis vitam nolem ſophe prime ſophorum,
Sed moriendo breui, viuere poſſe diu.
Atque frui tecum alloquio cœtúque Deorum,
In pace, in requie, in perpete lætitia.

Tua molliter oſſa cubent.

EIVSDEM LEODEGARII A QVERCV DE EODEM.

Loquitur Carpentarius.

PLebeius medicus fueram, dein Regius, & dein
Mortuus: haud mirum, mortuus Hippocrates.
Hippocrate & maior Phœbus deus ipſe medendi,
Mors omnes mordet, æqua homini, æqua Deo.

Eiuſdem ad eundem proſopopœia.

VEcta tuo Carpento Academia inclyta, rectum
Carpſit iter, nullis deuia tramitibus.
Nunc cum axis proſtratus humi, temóque rotæque,
Heu! Academiam certa ruina manet.

Deo gloria & gratia.

SVR LE TRESPAS DE FEV DE BONNE ET HEVREVSE MEMOIRE M. Iaques Charpentier, Profeſſeur en Philoſophie, Docteur en medecine, Et Medecin ordinaire de ſa Majeſté.

PAR FRANÇOIS DE BELLE-FORESTS.

CHarpentier ne pouuãt regarder les horreurs
Des maux qui ſont ſemez à preſent par la
France,
A dit à dieu au monde, à dieu à la ſcience,
Pour aller autrepart iouyr d'autres honneurs.
Car comme il ſurpaſſoit en ſçauoir les meilleurs
Et tous les deuançoit en doctrine & prudence,
Auſsi au Chore heureux de la grand ſapience,
Il eſt poſé au ranc des plus ſainctes grandeurs.
Charpentier qui n'eus pair, ny eſgal en ta vie,
Marry ſuis de ta mort, voire & luy porte enuie,
Que d'vn heur tout pareil, ie ne puiſſe iouir.
Iouys ô Charpentier de l'aiſe & de la gloire
Qui de tous tes trauaux t'a donné la victoire
Tandis que nous viuons pour vne fois mourir.

SONNET.

LA gloire des ſçauants, Fils de Philoſophie,
Ou le Pere pluſtoſt, eſt celuy que voyez
Porté en ce ſercueil: Helas! vous larmoyez
Larmoyer il ne faut, c'eſt luy porter enuie.
Charpentier là giſant, repoſe & eſt en vie,
Car ſes diuins eſcrits ſont immortaliſez:
Car ſon rare ſçauoir, ſes mots çà là ſemez,
Sont grauez & empraints en ceſte Academie.
Ah enfans de Pallas, vous perdez ceſt appuy
Qui vous ſouloit guider, car il eſt auiourdhuy
Paſſé iuſques aux Cieux receuoir ſon ſalaire.
Regretez le, mais non: aymez le, & priez Dieu,
Que ſon eſprit au Ciel, & le corps en ce lieu,
Repoſant, il nous ſoit ſupport en tout affaire.

IN ACERBAM IACOBI Carpentarij Philoſophi atque Medici Regij mortem. Carmen.

QVadrigis Sophia & Carpento vecta nitenti,
Regali illuſtris ſtemmate nuper erat.
At nunc quod doleat, quũ fato ereptus acerbo
Carpentarius eſt, quodque queratur, habet:
Nam vectore ſuo metus eſt ne orbata fideli
Repat humi, & gemino claudicet ægra pede.
Néve habeat peius, Regali languida ſorte,
Quæ Doctore vnâ, quæ Medicoque caret.

T. S.

CL. HER. G.

QVantum erat in mundo Charitũ caſtæque Mineruæ,
Carpentari inerat nuper in ingenio.
Is poſtquam ereptus fato conceſſit iniquo,
Et facto lacheſis eſt ſibi viſa nocens.
Quantum erat in mundo Charitum caſtæque Mineruæ
Elatum eſt vnis protinus exequiis.

aliud.

Corpus humo poſitum, cælo mens: nomen honeſtum
It Carpentari docta per ora virûm.

Ἐς ἴακωβον χαρπεντιὲρ

Γλῶτταν ἰωάννης γεννηθεὶς λύσατο πατρί
 Φθέγξεσθαι οὐγνωτοῖς δῶς ἰάκωβε θανών

Soluit Ioannes linguam naſcendo parenti
 Hugnotis moriens das Iacobo loqui.

Εἰς αὐτὸν

Εὐσεβέος ζώντος σιγᾶς οὐγνωτ', Ἰάκωβος
 Ἡμῖν ἦλθε μόλις, στωμύλα κίττα πάρει.

Mutus eras Hugnote, pius dum viueret, ecce
 Vix Iacobus abit, garrula pica venis.

Εἰς ἰάκωβον τὸν καρπηντάριον ἐπιτάφιον
ἐπίγραμμα,

Οὔνομα καρπηντάριος ἦν ὁ ταφείς, πινυτὴν δὲ
 Ὠυτὸς Ἀριστοτέλης, Ἱπποκράτης, Κικέρων.

Ἄλλο.

In obitum Iacobi Carpentarij.

HVc iuuenũ properate frequens, huc turba virorũ
Cani cum pueris huc properate ſenes.
Huc cumulate noui naſcentes Veris honores
Et tumulum illuſtris cingite flore viri:
En ſitus anguſta eſt hac Carpentarius vrna
Cuius vix nomen nobile terra capit:
Inter mortales quo vix præſtantior alter
Doctrina aut animi religione fuit.

In eundem. Ipſe loquitur.

Cur vobis facies lachrymis, vultúſque rigantur,
Fletibus, & triſti cur ſedet ore dolor:
Ponite tantum animis mœrorem, ponite veſtris
Et ſortem placida mente videte meam.
Nam licet orbatus vita & præſentibus auris,
In veſtra haud poßim commoda voce frui:
Viuo meis tamen in ſcriptis, doceóque ſepultus,
Qui viuens peperi grande docendo decus.

In eundem.

Dum Carpentari, manſit tibi vita ſuperſtes,
Cura tibi & duplex ſollicitudo fuit.
Nam Chriſti cauſſam miles generoſus agebas,
Et magni magnus doctor Ariſtotelis.
Hoc facit vt totum tua laus peruaſerit orbem,
Illud te ſuperis intulit ordinibus.

Pij cuiuſdam.

IN OBITVM IACOBI CARpentarij Philoſophiæ & Medicinæ Profeſſoris Regij.

AT ſapiens caſus, & fures, ſydera, Parcas,
Et Martem ridet: cur moreris ſapiens?
Quæ vult impoſitis fortunam ducit habenis,
Hanc regit & dominam non ſinit eſſe ſui:
Nec timet inſidias venientis nocte latronis:
Et præſaga ſuis non timet aſtra bonis.
Nil quoque crudelis pungentia ſpicula mortis,
Nec pauet inferni clauſtra profunda iouis.
Agmina ſi medio fortaſſè furentia campo,
Inque parata ſuum viderit arma caput,
Tela ſuos firmus ſtans iacta retorquet in hoſtes.
Cuncta domat ſapiens: cur ſapiens moreris?
Haud, Carpentari, moreris, mortalia tantùm
Linquis, & ad vitam non moriturus abis.
Et verè es ſapiens qui caſus, damna latronum,

IN OBITVM IACOBI Carpentarij.

TOta ploratur cur Carpentarius vrbe?
Totam vrbem, ac orbem farcerat ille ſophis.

Franciſcus à Cabidouh. eius auditor.

DE IAC. CARPENTARIO Stephanus Theuenetus.

QVi rerum occaſus, qui rerum nouerat ortus,
Poſt ortum, occaſum corporis ille videt.
Hic tamen occaſus nomen ſibi vendicat ortus,
Si verè occaſus corporis, ortus erit.
Nam noua lux oritur, noua menti gaudia ſurgunt,
Quæ nouat occidui corporis interitus.